



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XIII. De tribus capitibus propositis sententia Pontificis. Varia iactitata & cogitata de aduentu Gallorum. Contento de loci præ reogatiua inter Heluetium & Bauaricum Oratorem, rursus ad aliquod ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

centum, Legatos efflagitarent, ut ipsorum nomine rogarent Synodum, ne grauaretur, ad amouendam perturbationem, discordiam, & moras, totum negotium Pontifici remittere: quæ forma decen-
tior apparebat, quam si Legati propositionis auctores secundum primum consilium viderentur. Hæc tamen ipsis occurrebat diffi-
cultas, Patres extra numerum proponentium facile obstituros, alios auerfatione sententiæ, alios technæ suspitione, & alios for-
tasse plus appetentes, quippe nobiliorem aduersarij quam affectæ personam: quare maius potius schisma fieret, dum id refarcire conarentur. Nimiæ quippe vim habet ad augendam sui in alio
diffidentiam, data ab illo repulsa sibi per fidentiam aliquid petenti.

1562.

C A P V T XIII.

De tribus capitibus propositis sententia Pontificis. Varia iactata & cogitata de aduentu Gallorum. Contentio de loci prærogatiua inter Helueticum & Bauaricum Oratorem, rursus ad aliquod tempus sedata.

Iussit Pontifex celeriter ad Legatos rescribi*, Ex voto suo melius eos acturos fuisse, solùm propriæ prudentiæ ductum fidenter secutos: seu quòd illos vellet obstringere ad rem suam promouendam eo præualido nobilium animorum vinculo, quod ipsis iniicitur, dum se solutos omni vinculo in maximis negotiis à suo Principe sentiunt; seu quòd reuera sibi displiceret, emolumentum illud ad rem perficiendam deperdi, quòd iidem auctores essent consilij, iidemque executores. Adiecit; Quoniam suam illi sententiam rogabant, eam esse huiusmodi; Susciperetur secundum consilium sancientiæ constitutionis, pœnas & præmia complectentis. De conditione apponenda, ne dogma definiretur, nihil respondebat, cum fortasse vellet id ab ipsis peractum, non à se dictum. Declarabat quidem, ne absolutionis interdictio non residentibus ultra noxam perduraret: sed proponebat insuper, ut iisdem anathema solùm à Pontifice soluendum infligeretur. Itaque placere sibi, ut omni studio Legati curarent rem propositam à maiori Patrum parte accipiendam: quod ubi succederet, tamen complures reluctarentur, de iis minimè laborarent; cum certum esset, maiorem acerbio-
rioremque repugnantiam futuram, ubi post tam inflammatam euulgatamque correctionem dogma pro alterutra parte definiretur. Quod si Legati de huiusmodi Decreti successu dubitarent ex pri-
uata

* Litteræ Borromæi ad Legatos, 12. Octobris 1562. inter monumenta Seripandi.

1562. uata solùm ipforum diligentia obtinendo, nauarent operam, vt centum illi, quos ipsi commemorauerant, essent æquè parati aut ad hoc ipsum perficiendum, aut ad rem Pontifici committendam. Sin autem ne id quidem pariter hac ratione haberi posset, non recusare Pontificem commissionem accipere, dummodò liberam minimeque coarctatam ad alterutram sententiam decidendam. Satiùs enim existimabat ea omnia peragi, quàm decerni in Concilio Fidei dogma, quod à tot Patribus, tantæque æmulatione impugnabatur. Verumtamen etiam si fortasse complures eiusmodi commissioni repugnarent, non propterea Legati ab ea stabilienda desisterent, cum in comperto esset, à negotio tam agitato, tantoque mentium affectionumque conatu, nullam spem fieri reliquam, vt per communem concordiam ipsum absolueretur. Nulli pariter Legatis curæ foret id, quod siue Oratores siue alij oblocuturi essent, cum cuicumque prudenti sinceroque animo liceret apertè intelligere, sibi, eiusmodi rei & Calicis commissionem accipienti, non aliud emolumentum, nisi pacem Concilij prouenturum, atque in eo casu præualidas à se sanctiones editum iri, quibus omnes re ipsa ad residendum cogerentur. Concludebat ex iis omnibus quæ dixerat, nolle se vt Legati, nisi ex ipforum arbitratu rem gererent.

Eò magis tum ab ipsis tum à Pontifice optabatur festina & quietata illius litis concordia, quòd vicinior ac turbulentior significabatur aduentus Gallorum; qui si diuisam Synodum reperissent, ad alteram partium accedentes, rerum arbitri omnino euasissent, & pro iis sensibus, qui de illis dicebantur, ad eam sanè accessissent, quæ vellet à consueto secedere. Inter cetera monumenta, in quadam epistola Amulij^b ad Seripandum, comperio ab eo significari, nuntiatum esse, Lotharingum Cardinalem habere in animo sibi famam comparare potissimum ex eo, quod ipse nationes Transmontanas coniungeret ad deliberandum non modò de reliquis argumentis, sed de creatione Pontificis: factam ab eo spem fuisse collocandi in matrimonium Archiduci Ferdinando, secundo Cæsaris filio, fratris filiam, Scotiæ Reginam, quod ipsi addictos Cæsarianos reddidisset. Et quidem ratiocinabatur Amulius, Lotharingum fortasse primo loco propositurum disciplinæ leges sanctissimas, cunctisque Episcopis gratas, ad aucupandam gratiam & auctoritatem, viamque aperiendam nouis molitionibus, per quarum primam, ac tantquam reliquarum fontem, à multis prædici^c tentandum esse, pro eo ac significauerat antea Drascouizius, vt nationum numerus capitum numero præualeret, delectâ in singulis æquali sapientium Episco-

b 10. Octobris 1562. inter commentaria Musotti,

c In responso Amulij ad Seripandum, 21. Nouemb. 1562.

Episcoporum cohorte. Etenim aiebant, par non esse, vt soli Itali
 multitudine dominarentur Concilio, atque in capitibus spectare-
 tur æqualitas exterioris tiaræ, non inæqualitas interioris doctrinæ;
 de quo acriter ^d conquesti sunt, quòd Pontifex id temporis ^e con-
 uentum muniret multis Italicis Patribus, non cunctis idoneis; qua-
 si id fieret, quòd Italia semper in bilance dominatum continuaret,
 tametsi nouum æquilibrium Gallorum, qui expectabantur, acce-
 deret. Quamobrem valdè sollicitè de hoc vulgato exterorum ani-
 mo scripsit ad Amulium Seripandus Legatus, in quo, ob breuem
 Mantuani discessum valetudinis causâ, innixurum erat per eos dies
 primi ductoris munus: sed Amulius postquam cum Pontifice dis-
 seruit, intrepidè rescripsit; In Episcopis Concilij tam enormem
 cæcitatem timendam non esse, vt vellent auctoritati suæ tantum
 detrimentum inferre, suoque suffragio tantum æstimationis sub-
 trahere. Ecclesiam quindecim sæcula ita processisse: nec ex ad-
 uerso militare Synodi Constantiensis exemplum, quoniam nec ibi
 pariter articuli nationum numero stabiliti sunt; sed cùm agitatum
 est de nouo Pontifice creando, in tanta trium veterum litigatorum
 discordia, quorum nulli deerant addictæ prouinciæ, viginti tribus
 Cardinalibus additi sunt triginta Episcopi omnium nationum,
 quòd singulæ suffragij participes in eius electione, adstringerentur ad
 illius obedientiam ac tutamen. Præterquam quòd ex ea noua suf-
 fragij ratione inextricabiles difficultates orirentur, cùm apud ho-
 minum opiniones ambigua nationum confinia permanerent, adeo-
 que si pro ipsarum numero suffragia numerarentur, potius schisma,
 quàm Synodum inceptum iri. Non ex doctrina, sed ex manuum
 impositione reddi Episcopos in sacrosanctis illis cœtibus legitimos
 iudices: doctrinam interdum reperiri maiorem in laicis, quàm in
 Episcopis; eam sibi quemque magnificè tribuere, erga alios verò
 dubia variare iudicia: quapropter per summam prouidentiam Deus
 tam incertæ doti certam fidei firmitatem minimè alligarat: ali-
 quando Episcopi idiotæ voce id fuisse confectum, quod à complu-
 ribus doctissimis confici non potuerat.

1562.
 d Acta Pa-
 leotti, & lit-
 teræ Vice-
 comitis ad
 Borrom.
 e Ex Diario,
 in exitu Se-
 ptemb. & in
 Octobr.

3 Graues dubitationes de consiliis Lotharingi, deque perturbatio-
 nibus quas ille Catholicis ditionibus afferre posset, peculiare non
 erant Pontificis ac Pontificiorum, sed communes prudentibus mi-
 nistris eorum Principum, quorum in eo nonnisi quies vniuersalis
 intererat: nec silentio præterire debuisset ad eam rem Suauis id
 quod ipsi pluribus modis innotuerat, Venetos Oratores in eam
 sententiam ad Senatum ^f perscripsisse: sed silentium rei cognitæ
 narra-

f Arcanæ no-
 tæ Viceco-
 mitis ad Bor-
 romæum,
 24. Septemb.
 1562.

B b 3

Historia
 Concilij Trid.
 Pars III.

1562.
g 21. Septem-
bris 1562.

h Epist. Bor-
romæi ad Le-
gatos, 16. Se-
ptemb. 1562.

i Ex litteris
Borromæi
ad Legatos,
16. & 18. Se-
ptemb. 1562.

k Epist. Bor-
romæi ad Le-
gatos, 12. O-
ctobr. 1562.
l Ex S. Dio-
nyfio, 10. Se-
ptemb. 1562.

narratione incognitæ ab eo rependitur. Cùm is in epistola Vicecomitis ad Borromæum legisset quædam officia à Musotto, qui Seripando Legato à secretis erat, proposita, quibus Lotharingi aduentus remoueretur, illicò plenâ fiduciâ scribit, ea officia fuisse adhibita; haud animaduertens, vbi verum id fuisset, Musottum auctorem consilij, eundemque postea Lotharingo à secretis, adeoque de rebus benè consciùm, ea in sua narratione silentio non oblecturum fuisse, cùm homines mediocres semper appetant, operam suam in dirigendis Principibus famæ commendari. Contrâ verò ex voluminibus litterarum certò comperio^h, Pium huiuscemodi artibus minimè consensisse, causatum inter alia, quòd illas inefficaces prænosceret, quippe admonitus litteris Ferrarientis Legati, Lotharingum suoapte ingenio ea viuaciùs aggredi, quæ sibi prohiberi viderentur. Quare ipse cauit, de quo & Legatos præmonuit, ne quod suspicionis multoque magis formidinis indicium in se præferret; suspicio siquidem se tamquam auersum, formido tamquam inferiorem Lotharingo indicasset.

Et iamⁱ vtraque minui cœpit, etiam in animo Pontificis: etenim quamuis antea credidisset, Lotharingum non aduenturum, sed fortasse sparsum huiusmodi rumorem à Gallis fuisse ad retardandas definitiones, postea verò per Abbatem Mannensem, à Lotharingo ad se missum, certior esset redditus de vero ac proximo illius accessu; ^k tamen ex iis quæ Abbas exposuit, Pontifex meliora præfagiit. In hanc sententiam^l Lotharingus suo chirographo ad Pium scripsit: Se ab auctoritate precibusque Reginae, Regis Navarrae, Dynastarum ac Præsulum Galliae, totiusque Ecclesiae Gallicanae, atque à lacrymis proborum omnium, & vniuersi populi, fuisse coactum ad opus illud suscipiendum, ad quod vnâ cum Episcopis ac Theologis doctis & Catholicis iturus erat; neque quidquam à se gestum iri, quod Pontifici displiceret, cùm ipse Apostolicam Sedem supra omnia post Deum veneraretur; addebatque, ne grauaretur Pontifex fidem adhibere iis, quæ suo nomine Abbas exposuisset. Is verò tam amplè postea testificatus est obseruantiam Lotharingi erga Pontificem, & sacrosanctam Cathedram, & ea quæ idem habebat in animo per illam functionem efficere, vt Pontifex ipsi fidem abrogare nequiuert; tum quòd absurdissimum videbatur, huiusmodi Principem velle se tam crasso mendacio decurrere in eo quod apertè falsum mox ab ipsius opera reuinceretur; tum quòd Regina concordis sono Nuntium fuerat allocuta; ac denique ob eam rationem, quam alibi animaduertimus, quia nimi-

rum

rum sinceræ significationes à natura vim quamdam obtinent, ex qua homines inter negotia diu exerciti ipfas à simulatis discernunt. 1562.

5 Dum adfuturi Transmontani huiusmodi sollicitudinem excitabant, alteram qui iam aderant incussere. Ea fuit, orta iterum^m æmulatio Oratoris Heluetij erga Bauaricum, paulò antè à suo Principe regressum; quæ tantum turbarum discrimen attulit, vt necesse fuerit Legatis ad eas vitandas cœtus iam indictos nonnumquam omittere. Cupiebat Bauaricus saltem bis terve solemnibus actionibus interesse, ita vt Helueticus non adesset, cùm hic tam diu liberum ob ipsius absentiam theatrum obtinuisset. Atque id ægerrimè impetratum est, & ipso facto dumtaxat, non per promissum, quod singulis vicibus anxios habebat Legatos. Postea nullo inter æmulos temperamento reperto, proposuerunt Legati, vt ambo siue sponte, siue, vbi cautius id sibi suos apud Principes existimarent, ipsorum Præsidium iussu à publicis functionibus abessent, vel Tridenti, vel in vicinis locis degentes, donec opera nauaretur, vt ipsorum Principes concordiam inirent: quòd si hoc non succederet, à Pontifice mandata acceperant, quemnam ex Oratoribus abire paterentur. Sed hoc extremum erat consilium, nec re complendum citra necessitatem, nec vulgandum antequam completeretur. Denique Legatis enixè conuenientibus, & Oratoribus Cæsareis deprecantibus, vterque consensus ne interesset. Enimuerò iurisdictione, quòd celsiores in homines, & in rebus celsioribus exercetur, eò speciosior, sed simul ponderosior Iudici accedit: adeoque ponderosissima illa est, quæ de prærogatiua inter Principes habetur; cùm ea Iudicem cogat, vt alterum sibi reddat inimicum quasi per apertam grauissimamque iniuriam, nec alterum sibi reddat obnoxium, qui se victorem non putaret, nisi victoriam ex manifesto suo iure profectam agnosceret.

m Litteræ
Legatorum
ad Borromæum,
12. 15. &
19 Octobris
1562.

CAPVT XIV.

Complura Suavis errata. Polonia Orator exceptus. Variæ sententia de paratis doctrinæ Canonibus; ac præsertim, An & quomodo Episcopi sint ex Iure Diuino.

1 **S**uavis quæ erroribus, quæ mendaciis, quæ versutiis numquam me longius progredi patitur, itinere non interrupto. Et sanè si vellem refellere quidquid ille aut nullo aut falso nixus fundamento narrat, ingentia & multiplicata volumina mihi satis non essent; falsum enim vno verbo profertur, sed nonnisi compluribus reuincitur. Aliquot ipsius errata pro more signabo, ex quibus argu-